

cum & Carolum Reges, fratres, an. 842. *Fon thesemo dage framfordes*, ab hoc die in posterum.

§. XXXIV. *Ritan*, equitare. Glossæ veteres: *Ritante, equites. Ritan in geuweftrin*, equitare in armis, *Rhybm, de S. Annone §. 9.* Hic speciatim denotat Expeditionem suscipere bellicam. *Reite*, expeditio: quæ & Latine Equitatio dicitur in charta apud Du Fresn. *Glossar. v. Vexill. S. Martini.* Jus vetus Argentor. c. XLIX. *Suven der Bischof fert des Keisers reite. i.* quando Episcopus iverit in expeditionem Imperatoris. Cui opponitur *Zu hofe waren. c. L. Suvenne der Bischof zu des Keisers hof vert oder herverte*, i. quoties Episcopus in Imperatoris Curiam vel expeditionem iverit. Hinc *Reitlehen*, feudum quod debet servitia militaria; cui opponitur *Seslehen*, feudum cujus possessor non tenetur in expeditionem ire, sed vel castrum aliquod defendere, quod speciatim *Burglehn* dicitur, vel in conventibus, Domini vices gerere, vel alia præstare præter expeditionem bellicam. Neque *ritan* duntaxat notat equo vehi, sed & curru: ut & hodieque Helvetiis & Auftriacis est in usu, itemque Belgis, *met de vvagen ryden.* Unde *Reidevvagonon*, curribus, Cantic. Willerami cap. 1, 9. *Ih habo dih, friunt in min, geebenmazot minemo reit gefinde an den reit vvagonon Pharaonis.* i. e. Assimilavi te, Amica mea, equitatu meo in curribus Pharaonis. Hinc vox Gallo-Celtica *Petorritum*. Festus: *Petorritum, & Gallicum vehiculum esse, & nomen ejus dictum existimant à numero quatuor rotarum. Alii Oscè, quod ii quoque PETORA quatuor vocent. Alii Græcè sed ἀλωκίος dictum.* Verùm evincit Agellius Lib. XV. c. 30. ex Lib. XIV. Ret. Divin. M. Varronis, esse id verbum Gallicum & totum